



## **Tractatus De Schismate**

**Longueval, Jacques**

**Lovanii, [1718]**

§. I. Communio cum universali Ecclesia est medium ad æternam salutem prorsus necessarium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)



certè Romanæ Eccleſiæ adhærere ſe teſtabatur, quo tempore fidem Romanam impugnabat. Nullumne erat Schiſma quia ab illo Hæreſiarcha Pontifex ſe ſeparabat? An non erant Schiſmatici Manichæi Pelagianique, quando Eccleſiæ dogmata impugnando omni arte & dolo Catholicę Eccleſię unitatem communionemque ſervare machinabantur? Nemo Schiſmaticum ſe agnoſcit, niſi quando eſſe deſinit.

Sed obſerva Lector cor duplex recentium Schiſmaticorum. Palam ubique proclamant, per Clementinam S. Sedis Bullam fidem everti; ac nihilominus cum eadem Sede unitatem fidei ſe ſervare, & univerſali Eccleſiæ Bullam amplectenti ſe adhærere contendunt. Ipiſi ergo ab Eccleſia manifèſtè ſe ſeparant, ipſi ſe ſegregant.

Epift. Judæ



## C A P U T I I.

De neceſſitate communionis cum univerſali Eccleſia, ad evitandum Schiſma.

### §. I.

*Communio cum univerſali Eccleſia eſt medium ad æternam ſalutem prorsùs neceſſarium.*

**S**olum Eccleſiæ nomen percellit Sectarios: quod eis in memoriam revocat, tacitèque exprobrat rebellionem, ingrati animi vitium, ſchiſma, obligationemque redeundi in ſinum ejus maternum. Quippe chara-



characteres Ecclesiæ proprii, totidem argumenta sunt, quibus homo quilibet obligatur in ejus communione vivere & mori, qui salutem consequi sperat æternam. Est enim Sponsa Christi: Matris illius communis hæreditatem soli ejus filii acquirunt; à qua servæ & concubinæ filii, hoc est juxta SS. Patrum interpretationem, hæreticorum schismaticorumque divisæ societates sine dubitatione excluduntur. Est præterea ipsum Jesu Christi Corpus: Servator ille Divinus, qui ejus est Caput, nec hic vitam inspirat animatque, nec in cælo coronat nisi ejus membra: quicumque ab hoc corpore sunt rescissi, jam nunc mortui sunt, non secus ac arida sarmenta, quæ à vite divisa igni destinantur. Denique Ecclesia est Jesu Christi in terris regnum, quod Sanguine suo acquisivit: nullos, nisi qui sunt hujus regni, subditos agnoscit: ceteri sunt inimici.

Hanc fidelibus veritatem SS. Patres summo studio inculcârunt. Communis eorum non solum vox est, sed clamor: *Extra Ecclesiam nullam esse salutem: Non habere Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem: Extra Catholicam Ecclesiam omnia haberi posse præter salutem.*

Quin & ipsi Ecclesiæ hostes professi hoc ei testimonium veritatis reddere sunt coacti. Catechismus Genevensis expressissimis verbis dicit: *Extra Ecclesiam nihil est nisi mors & damnatio. Nec speranda est salus iis qui à communione fidelium separati divisam à corpore sectam constituunt, quamdiu in schismate pertinaciter hærent.* Audiatur & Calvinus: *Extra Ecclesiæ gremium nulla est, inquit, speranda remissio peccatorum,*

nec

4. Conc. Carth. Cyprian. de unitate Eccles. & August. de Symb. & Sermone ad Casariensis Eccles. plebem, n. 6. Apud Motiva conversi Principis Ernesti Mo-



tiv. r. c. 11.  
Instit. l. 4.  
c. 1.

*nec ulla salus.* Sic ipsi Novatores damnationis sententiam contra se ipsos pronuntiant. Verum quidem est, eos, ut suos ludant, & se palpent, prætexere, veram Ecclesiam penes se stare, aut ab ea saltem non esse se separatos: sed videamus ipforum hac in re coëcitatem.

## §. II.

*Quæ Societas appellanda sit Ecclesia Catholica.*

Jacob. 1.  
Vide re-  
plic. Car-  
dinalis  
Perron. c.  
60. p. 52.

**Q**uid Hæretici Schismaticique machinati sunt, ut sibi persuaderent esse se in Ecclesia Catholica? Nonnulli dixerunt, Ecclesiam esse Sectarum omnium in Christum credentium congregationem. Imaginatio hæc est Regis Angliæ in sua ad Cardinalem Peronium responsione. *Ecclesia, inquit, Romana, cujus Græca, Antiochena, Ægyptiaca, Abissina, Moscovica, membra sunt, alia quidem aliis quantum ad doctrinam & veritatem excellentiora, sed tamen Ecclesia Catholica membra, &c.*

Aug. de  
Symb. ad  
Cathec. l. 1  
c. 6. num.  
13.

Ita Princeps ille, ad obvelandum Schismatis sui dedecus, ad paradoxum hoc peregrinum recurrere coactus est, ut supponeret Ecclesiam Catholicam Sectarum esse omnium sentinam: cum notissimum sit, Ecclesiam non sinu suo complecti; sed rejicere & impugnare Sectas omnes, quemadmodum ab omnibus Romano-Catholicis impugnantur. *Ecclesia Catholica, inquit S. Augustinus, contra omnes Hæreses pugnans, impugnari potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam samenta inutilia de vitæ*